DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA
DE
DIMINUTIONE FETUS OBSTETRICIA

QUAM

PRAESIDE

LEOP. SOCR. RIECKE

MED. ET CHIR. DOCTORE ET PROF. P. O.

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LEGITIME OBTINENDO

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

MENSE JUNIO MDCCCXXIV.

AUCTOR

CARL FR. THEURER,

Stuttgartiensis.

PARTICULA I.

TUBINGAE,

TYPIS SCHOENHARTIANIS.

INTRODUCTIO.

Unam tantummodo, gravissimam autem et complicatissimam, ex innumeris corporis humani functionibus organicis obstetricia ars omni parte excutiendam effert, pariendi scilicet functionem et quae propriori nexu causali cum illa conjunguntur.

Cujus argumentum cum particula sit vitae humanae, et idem, qui universae universam vitam complectenti medicinae, propositus finis, praecipua quoque hujus capita vel obstetriciae artis esse, demonstrari posse necesse est; quo accidit, ut universa medicina et in artem, abnormitates vitae cavendi, et in scientiam, exstantes vitae perturbationes, quantumcunque possis, removendi diu abhinc et summo cum jure descripta, universa quoque obstetricia ars et ipsa diutissime et aptissime in scientias distribueretur, tum normalem servandi vel per se propius quam caeterae sani corporis functiones ad morbum accedentem pariendi actum (ars obstetricia diaetetica, Hebammenkunst, inferior ars obstetricatoria), tum obortas actus pariendi perturbationes removendi (ars obstetricia curativa, Entbindungskunst, sublimior ars obstetricatoria).

Jam cum ars obstetricia diaetetica nonnisi parva quadam copia encheireseon mechanicarum, et tuentium, et munditiem ac commoditatem adjuvantium, et levantium dolores, indigeat, curativa utique ars obstetricia, cum summam abnormitatu varietatem complicata sane pariendi functio exhibeat, quam maximam quoque adminiculorum mechanicorum, h. e. operationum obstetriciarum copiam requirit.

Quas obstetricias encheireses universas ut systematico enumeremus ordine, primum hic agimus; nam et prorsus desunt enumerationes hae, et confpectus talis uno obtutu locum ostendit, quem in artis obstetriciae systemate ea obtinet operatio, quam unice dissertatio haec nostra tractabit.

SYSTEMATICUS CONSPECTUS ENCHEIRESEON OBSTETRICIARUM.

I. Encheireses pariendi actum normalem servantes.
 1. Conveniens parientis collocatio.
 2. Applicatio injectionum intestini recti et vaginae apud parientes.
 3. Pressio dolores levans in regionem lumbalem et pudenda.
 4. Excitatio, confirmatio et sedatio partus dolorum.
 5. Tutela perinaei.
 6. Evolutio intendentis forsan circumplicati funiculi umbilicalis.
 7. Interligatio et dissectio funiculi umbilicalis.
 8. Artificialis susceptio infantis naturali tantummodo vi editi.
 9. Leviores mechanicae sublevationes in cunctante processu trunci post praegressum jam capitis partum, vel etiam vice versa.
 10. Artificialis evocatio solutae jam et in vagina sitae placentae.

II. Encheireses pariendi actum normalem restituentes et reducentes.
 A. Mechanicae adjuvationes contra morbos magis minusve cum pariendi actu complicatos.
 1. Mechanica tractatio exstantium herniarum abdominalium inter partum.
 2. Mechanica tractatio pericula minantium aneurysmatum et varicum inter pariendum.
 3. Mechanica tractatio deliquiorum animi, convulsionum et asphyxiarum parientium.
 4. Operativa auxilia adversus omnia genera dislocationum uteri inter partum.

5. Remedium contra diversas prolapsus vaginae species.
6. Remedium contra prolapsum ani inter partum.
7. Mechanica tractatio haemorrhagiarum omnis generis inter partum.
8. Mechanica auxilia in asphyxia neonatorum.

B. Operationes adversus perturbationes proprie dicti actus pariendi.

a. Pariendi actus abnormi ratione acceleratus est.

1. Conspectus encheireseon ad convenientem illius prolatationem pertinentium.

b. Pariendi actus vel in matris vel in fetus, vel in utriusque perniciem tardus est.

α. Operatio hoc spectat, ut mechanica impedimenta removendo partum omnino *vel naturae vi vel arte possibilem reddat.* Operationes praeparantes.

aa. Impedimentum removendum *in matris corpore* situm est, idque

αα.) in *mollibus* genitalibus.

2. Operativa apertio concreti orificii uteri, cruenta et incruenta dilatatio ejus.
3. Artificiosa coronatio capitis fetus.
4. Cruenta dilatatio concretae et coarctatae vaginae.
5. Remotio organicorum vel prorsus alienorum, vaginam implentium, corporum.
(Abscessuum; varicum; polyporum; pessariorum.)
6. Mechanica purgatio nimis onerati, pelvisque spatium angustantis recti.
7. Evacuatio nimis repletae veficae.
8. Operativa tractatio hymenis coarctati.
9. Incisio perinaei et operativa tractatio disrupti perinaei.

ββ.) in duris genitalibus, h. e. in pelvi.

10. Synchondrotomia.
(Aitkenii pelvitomiae consilium.)
11. Ex industria effecta dilatatio ossium osteomalacia molliorem eamque aegram conditionem nactorum forcipis ope.
12. Novae prorsus partus viae formatio, consuetae

et ob angustias inutilis redditae loco. Gastrotomia et caesarea sectio cum omnibus varietatibus suis.

bb. Removendum partus impedimentum in pariendo fetu ovoque ejus situm est.

αα. in abnormi ejus collocatione.

13. Emendatio adversariarum vel capitis vel clunium collocationum.
14. Versio fetus.
15. Repositio prolapsi, et evolutio circumplicati vel innexi eoque brevioris funiculi umbilicalis.

ββ. in magnitudine fetus, genitalium ambitum absolute vel relative superante.

16. Abortus arte effectus.
17. Partus praematurus artificialis.
18. Diminutio cruenta fetus in utero.
19. Diminutio ovi. Ruptio velamentorum.

β. Operatio hoc spectat, ut vel fetus, vel partes illius, magis minusve materni corporis vi pariendi adjuvante, ex genitalibus evocentur.

20. Artificiosa extractio fetus vel partium illius forcipis ope.
21. Artificiosus partus pedibus praeviis.
22. Artificiosus partus clunibus praeviis.
23. Extractio fetus acuti hami ope.
24. Solutio et extractio affixae placentae.
25. Extractio molarum, immaturorum ovorum, etc. (Chirurgica curatio inevitabilis abortus.)
26. Plane violentus partus. (*L'accouchement forcé* sensu strictiori.)

Jam ex hac systematica enumeratione omnium operationum obstetriciarum, quem locum ea obtineat, quam dissertatio haec nostra tractatura est, satis intelligetur. Quippe quae praecipuum auxilium suppeditet, partus ob mechanica impedimenta naturae vi prorsus non perficiendos possibiles utique reddendi.

Hanc ipsam vero operationem argumentum hujus dissertationis eligendi, haec potissimum causa erat, quod in hoc obstetriciae artis capite mirum quanta sententiarum diversitas obtinet et saepissime operationis hujus locus in controversiam vocatur, nec non manifesto hoc propositum esse debet, ut quantum fieri possit, operatio haec omittatur, ideoque identidem conspectu opus est, qui, cum omnis medicina temporum sit proles, ex hodierna scientiae conditione, quousque proposito huic satisfactum sit, demonstret. Fontes autem ex quibus in dissertationis hujus rem hausimus, non modo universa (quantam scilicet nancisci potuimus) litteratura obstetricia, sed experientia omnium recentioris aetatis württembergicorum medicorum usi sumus. Plurimas enim pro sententiis nostris argumentationes excerptis probavimus partuum totius regni indicibus. Adeoque gravissimam de perforatione quaestionem non, quod saepissime accidit, Alexandri gladio breviter quidem, neque tamen probe solvimus, sed id conati, ut omnia unicae eujusque verae medicinae basi, usui scilicet et experientiae, superstrueremus.

Nec non postremo hoc annotandum, dissertatione hac, cum omne argumentum angustos unius hujuscemodi libelli fines excedat, dimidiam tantummodo quaestionis partem, historico-criticam scilicet, contineri.

SUPER DEFINITIONE, DENOMINATIONE ET PARTITIONE HUJUS OPERATIONIS.

Jam in definitione et, quae necessario cum illa facit, denominatione hujus operationis tria potissimum vitia deprehendimus, ab obstetriciis scriptoribus ad unum fere omnibus commissa.

1. Nusquam enim diminutio fetus per omnes suas varietates tanquam una necessario inter se nexu cohaerens operatio describitur; partem pro toto vulgo ex-

hibent. Quo fit, ut in significationem universae hujus operationis perforationis denominatio saepissime occurrat.

2. Sine ulla fere exceptione diminutio fetus tanquam necessario cum extractione fetus acutorum ope hamorum connexa exponitur, cum duae hae prorsus diversae operationes haud magis necessario nexu utantur, quam versio et extractio fetus per pedes.

3. Plerique postremo diminutionem hanc fetus eodem, quo ex industria factam fetus interfectionem, loco ponunt, ideoque omnem operationem consultam fetus caedem denominant.

Vera autem nos pronuntiasse ut probemus, nihil attinet, nisi ut recentissimorum in obstetricia re inter politissimas tres gentes principum libros evolvamus.

Johannes Burn (primo enim loco gravissimum litteraturae anglicae opus citabo) caput, in quo perforationem tractat, ambigue inscribit: „de hami usu" et in illo non tantum diminutionem fetus, sed etiam admodum inepte artificialem partum praematurum, artificiosum abortum et acutorum ac obtusorum hamorum usum, promiscue confusa, exhibet.

vid. John Burn's Grundsätze der Geburtshülfe, 1820. p. 502.

Gardien, quem omnis francogallicae recentioris obstetriciae artis veluti testem spectaveris, omnium instrumentorum acutorum in obstetricia re usum, quaecunque consilii et finis gravis diversitas intercedat, uno capite proponit.

vid. Gardien traité complet d'accouchements, Paris, 1824. T. 3. p. 101.

Siebold, Jörg, Ritgen (quorum videas scripta) neque indicationes, neque operationem perforationis ab extractione acutorum ope hamorum discernunt.

Osiander denique, ut supervacaneam, quam putat, operationem quam maxime invidiosam describat, definit et denominat illam simpliciter interfectionem fetus in utero ex industria commissam, jugulationem, embryoctoniam, nescius quasi, quam plurimis in casibus mortuos fetus diminui, et veluti statuens, opera-

tionis naturam in caede potius (fortuita prorsus), quam in diminutione positam esse.

Jam haec verborum confusio apud scriptores id efficiebat quam maxime perniciosum, ut operationum harum, quarum definitiones tam mirae effent, vix inter omnes ratae indicationes inveniri possent, et quam plurimae inde eaeque foedissimae logomachiae orirentur.

Quod chaos ut ordine instruatur, haec inprimis momenta distinguantur opus est:

1. Conditio fetus diminuendi.

   Jam haec conditio quadruplex esse potest, scilicet:
   - a. Mortuus est fetus;
   - b. Vivus est fetus, isque
     - α. vel non vitalis,
     - β. vel vitalis, nec non sic
       - a. vel magis minusve gravi morbo laborans,
       - b. vel firma valetudine praeditus.

2. Discernatur a posteriori fetus extractione diminutio illius nequaquam vel necessario vel semper cum illa cohaerens; utraque enim plane diversis utitur indicationibus.

3. Distinguantur et gradus et modus diminutionis fetus. Oritur enim ex distinctione hac operationum series, diversissimarum utique, quamquam idem sit summum consilium, indicationum specialitate.

Omnia autem, quae adhuc facta sunt, diminutionis tentamina si in ordinem redegeris, ita fere descripta habes:

I. Generalis diminutio universi circuitus fetus et totius corporis emollitio:
   - a. interfectione, eoque diminutione turgoris vitalis;
   - b. consulta detractione omnis sanguinis, partim dissectione arteriarum carotidum in collo, partim extractione et dissectione funiculi umbilicalis.

II. Diminutio singularum, partum inprimis impedientium, corporis fetus partium.
   - a. Diminutio capitis,

α. Punctio seu paracentesis hydrocephali.
β. perforatio cranii et excerebratio (Cephalotomia, Eductio s. extractio s. exemtio s. evacuatio mollis fetus cerebri).
γ. Dejectio cranii.
b. Diminutio trunci,
α. Punctio hydrothoracis et ascitae,
β. Exenteratio;
γ. Dissectio fetus s. Embryotomia s. Comminutio fetus.
c. Diminutio et remotio extremitatum aliarumque impedientium protuberationum,
α. Amputatio et exarticulatio artuum fetus;
β. Disjunctio partium monstrosarum, concretorum geminorum, etc.

Jam ex hoc conspectu patet, diminutionem fetus collectivum nomen operationum quam diversissimarum esse, adeoque hic etiam sententiam valere:
Qui bene distinguit, — bene medebitur.

HISTORIAE HUJUS OPERATIONIS PRIMAE LINEAE.

Intra angustos dissertationis hujus fines multum abest, ut omnibus numeris absolutam enumerationem historicam diversissimarum sententiarum, opinionum, methodorum et instrumentorum exhibere velimus, quibus inde a patre Hippocrate ad nostram usque aetatem quoad artificialem fetus diminutionem homines usi sunt.

Neque ignoramus, litteraturam germanicam, ceu nullam, Osiandri opere praestantissimo historiae totius obstetriciae rei tentamine ornatam esse. Quod tamen nequaquam supervacaneam reddit singularum operationum historiam.

Operationis enim historiam descripturus epochas illius ex ipsa, neque vero ex aliis alienisque rebus neces-

se est petat; quod negligunt vulgo, operationis scilicet historiam leviter adnectentes totius artis historiae, quin et epochis universalis rerum historiae, privantesque sic omni nativa indole.

Peculiares operationis hujus epochas definiendas cures opus est; brevibus autem verbis ut epocharum harum characteres demonstrentur, propositum est huic capiti.

Primum omnium jam quaestio oboritur, unde petenda sint historiae operationis hujus intervalla? Petere autem licet ex gravioribus immutationibus vel quoad sententias de indicationibus et contraindicationibus hujus operationis, vel quoad methodos operationis et inservientia illi instrumenta. Prior tamen ratio cum potissima videatur, summa servetur lex omnis descriptionis, ita vero, ut ex altero momento subdivisiones constituamus.

Ima periodus, complectens obstetriciae artis secantis et frangentis ex antiquitate usque ad primam gravioris momenti coercitionem, sectione scilicet caesarea in obstetriciam rem introducta 1581.

Fetus vel absolute vel relative justo majoris in utero diminuendi, ut possibilis redderetur partus, cum sponte se offerret sententia, quid mirum, ad initia omnis operativae artis obstetriciae inventionem redire operationis hujus, nonnisi ex dimidio proposito universae artis obstetriciae fini fatisfacientis?

Plurimorum, quibus quidem nos utimur, auxiliorum, partum perniciose cunctantem possibilem reddendi, Hippocratis libri, vel hujus rei primi ad nos nuntii, tria tantummodo cognita habent, scilicet:

1. Immutationem collocationis fetus, eamque et concussionibus sic dictis, et versione in caput raro tantum adhibenda;
2. Extractionem fetus tardissimam praecedentibus manibus et capite;
3. Cruentam fetus diminutionem.

V. Baur Dissertatio de arte obstetricia hippocratica, p. 20. Tub. 1822.

Serius autem inventa et a Celso primum descripta versio in pedes nonnisi paululum circumscribebat comminutionis fines, ut operatio haec per totam antiquitatem neque minus per medium aevum horrendum in modum late pateret. Celsus de re medica, Lib. VI. Cap. 29.

Qua vero ratione in temporibus illis operatio haec peracta sit, parum scimus; quam minime tamen in perficienda illa parsum esse matri, et secantes potissimum hamos adeoque periculosissima instrumenta in hunc finem adhibita, satis certo intelligitur.

V. Langbein Specimen embryulciae antiquae. Halae 1754.

II. da Periodus, tempus inde a prima gravioris momenti coërcitione diminutionis fetus per sectionem caesaream usque ad forcipis inventionem 1581 — 1730 complectens.

Inter gravissimas obstetriciae artis inventio erat gastro-hysterotomiae, auferens quippe perforationi horribiles angustatae pelvis casus, perforationis usum pariter paene et matri et fetui absolute letalem reddentes. Vulgatius omnino in periodo hac studium oriebatur, ad scientiam redigendi obstetriciam rem, et magna inprimis praeter quaestiones de momento caefareae sectionis perfectio versionis in pedes periodum hano CL aunorum insignit. Nec non graviorem jam distinctionem singulorum diminutionis fetus generum, rectiores indicationes, mitiores encheireses et mitiora instrumenta illi debemus.

III. tia Periodus, tempus inde ab a. 1730 — 1810, i. e. ab inventione forcipis usque ad inventionem artificialis partus praematuri complectens.

Perforationis infra quasi per caesaream sectionem circumscriptae supra jam per forcipis usum melius exercitum gravissima coercitio accedebat. Undique enim in periodo hac et vota, operationem illam prorsus supervacuam reddendi, et suasiones, et tentamina fini huic inservientia confluebant. Quibus laude

dignissimis, quamquam inventorum spei nequaquam plane satisfacientibus tentaminibus annumeranda est synchondrotomiae inventio, quam maxime amplificatus ex Osiandro forcipis usus, perforationis in mortuo tantum fetu adhibendae firma lex, et artificialis postremo partus praematurus. Neque vero, licet omnia haec artis instituta perforationis fines magis minusve circumscribant, operationem hanc prorsus proscribunt et ex obstetriciis finibus ejicere possunt.

IV. ta eaque nostra periodus.

Oculos si in sententias conjecerimus, impraefentiarum inprimis de gravissima hac re inter Germanos obtinentes, brevem puto hunc conspectum habebimus.

Unus inter germanos obstetricatores Osiander diminutionis fetus in utero quodcunque genus et prorsus supervacaneum, et perniciosissimum matri, et ob ipsam hanc causam verum artis crimen, quin, cum incerta sit fetus mors, absolute injustum et sanctitatis legi contrarium censet, quippe qui in quavis angustatione pelvis et forcipem et caesaream sectionem sufficere et inter utramque hanc operandi rationem alteram non dari statueret (quin tamen et ipse paracentesi hydrocephali supersedere posset.) Sententiam hanc Osiander usque ad vitae exitum summo cum animi ardore defendit; quibus tamen declamationibus contra perforationem non minus damni, quam utilitatis allatum esse puto. Utilitatem quidem attulerunt, vulgatum excitantes studium, operationem hanc nusquam adhibendi, ubi mitior aliqua ratio relictá fuerit; damnum contra, imperitiorem quemque inprimis seducentes, ut operationem hanc quamquam gravissimis indicationibus jussam in summam matris perniciem omitteret, prudentiorem autem cogentes, ut ob auctoritatem viri inter homines vulgatam ipsorum perforationes celarent, nemine non confessionem respuente, se fecisse, quod tantus vir imprudentia oriri contenderet.

Inde autem vitiosissimum hoc oriebatur, ut complures obstetriciae artis doctores alia docerent, alia

exercerent, et exoterica esset atque esoterica obstetriciae rei prudentia.

Exstinguebatur tamen, ut videtur, cum Osiandro in hoc saltem capite schola illius.

Caeteri quidem obstetricatores cuncti necessarias esse has diminutionis operationes uno ore simpliciter confitentur, neque tamen non duabus addicti familiis, alteri, iique impraesentiarum pars major, operationem hanc in mortuos fetus restringendam jubentes, alteri ingenue et sine ullis ambagibus confessi, moittendis et irritis quibuscunque artis nostrae auxiliis casus, quamquam rarissimos, exstare, ubi non possit non, ut salva sit mater, vel vivi fetus comminutio decerni. Prioris autem familiae acerrimus exstitit et iniquissimus defensor Weidmann (Entwurf der Geburtshülfe, P. 310. §. 899), celeriter rem transigens omnes alterius familiae asseclas homicidas nuncupando, quos capitalibus judiciis tradendos statuit: altera autem sententia et in Anglia obtinet, et inter Germanos manifesta et ingenua gaudet professione Wiegandi, Kleinii et Braunii.

Jam tum de ratione, qua perficienda sit operatio, tum de instrumentis convenientissimis, tum de quaestione, quae sit ulterior tractatio fetus diminuti cum minus graviores intercedant sententiarum varietates, eo magis deesse videntur speciales encheiresеon huc pertinentium indicationes.

DE MORALI ET LEGALI PERFORATIONIS INDOLE.

Mortui fetus diminutionem neque impiam neque illegitimam, supervacaneam tamen *fortassis* et perniciosam matri esse, satis liquet. Graviores autem difficultates oboriuntur, cum de *vivo* fetu quaestio fiat.

Jam omnem hujus rei disquisitionem optime forsan et plenissime instituerimus, vehementissimum om-

nis perforationis adversarium, b. scilicet Osiandrum, loquentem introducentes, et, cum ipsius argumentationibus contra legitimam hujus operationis indolem quodcunque oppositionum genus contineri facile statuas, nonnisi in his dijudicandis versantes.

I. Nulla prorsus conditione circumscripta est sanctitatis lex: ne hominem occidas!

Verumenimvero ut aliquantulum ommittas quaestionem, quî transferatur haec lex in operationem nostram, quis tandem ira quidem et studio vacuus sententiam hanc, ambitu hoc latiori et absoluto, nullis plane finibus circumscripto prolatam, falsam esse non confitebitur? Quod cum neminem negaturum esse arbitrer, *sola haec lex per se nihil* facit contra moralem et legalem perforationis indolem; Mosem vero ipsum nequaquam statuisse de vi legis, quae Osiandrum, satis demonstrant, quae cruenta bella et supplicia legi huic prorsus non repugnantia arbitrabatur. Quousque tamen vel ad insaniam perveniatur, ubi nihil aliud agens meras ex sententia aliqua argumentationes alias in alias cumulaveris, argumento est Hufelandi commentatio (vid. ejus Journal, Heft 2, Jahrg. 1822.), homicidium simpliciter nuncupans coitum quemque, cujus naturalem consequentiam, graviditatem scilicet, altera pars ex industria irritam reddiderit.

EST MODUS IN REBUS, SUNT CERTI DENIQUE FINES!

II. Rationi et justitiae repugnat, fetus vitam minoris aestimare, quam matris.

Cum animal quodque ratione tantummodo et morali indole jura quaedam nanciscatur, fetus jura nonnisi tum urgeri possunt, ubi idoneus ad rationem et moralem indolem fuerit. Jam vero facultas haec rationis, qua omnia fetus jura nituntur, non potest non pendere a vitali ejus vi; quae cum in unoquoque fetu, si quidem cum adulto homine comparaveris, dimidia tantum sit, partus difficultatibus, monstrosis formationibus, organicis vitiis et primi vitae anni peri-

culis ex inevitabili naturae lege dimidiam omnium natorum partem interficientibus, fundamentum, cui superstructa sunt fetus jura, nonnisi dimidia auctoritate gaudet, qua matris. Ubi vero vel hoc reputaveris, mirum quantum differre inter se facultatem et indolem alicujus rei, et exstantem jam ejus culturam, intelliges sane, matrem, tum conjugi et liberis et consanguineis caram, tum in salutem eorum saepissime necessariam, post peractam educationem, post sexcenta jam pericula superata, nec non bene meritam de patria et suis, majori sane jure, quam fetum, ne natum quidem, omni conscientia destitutum nec nisi plantarum et bestiarum instar vigentem, ut parcatur ipsi et ipsius vita servetur, postulare posse.

Atque haec aestimatio rei sano sensui communi adeo satisfacit, ut omnium temporum gentes consentirent, fructui arborem non posthabendam esse. Perditum enim fetum cum et pater et mater aliquot dies lugeant, summo cum jure perditam matrem et familia et tota forsan concio complures per annos lugebunt, et omnium aetatum vox arguit Osiandrum, omnia haec argumenta nonnisi ea censentem, quibus pravorum hominum conscientia sopiatur. Quare idiosyncrisian quis non arbitretur, celeberrimo viro argumentis his non satisfactum esse. Contendenti denique, optime de genere humano meritos clarissimosque homines hac via, dum etiam fetus essent, exstingui potuisse, tenuissimam hanc argumentationem contra vertens respondebis, eadem prorsus ratione in summum generis humani commodum acerrimos ejus carnifices atque perditores, dum etiam fetus essent, exstirpari potuisse.

III. Nullum usquam jus exstat, pro salute matris fetus vitam devovendi.

Quod quî non existat? Alterius enim vitae devotionem in salutem alterius vel pravam nuncupabis vel raram inter homines putabis? Nonne pro servanda republica totae legiones devoventur? Nonne amicus pro amico morti se devovet? Nonne ut propriam serves vitam, tutelae tui ipsius ex necessitate

intentus, alterum vel caede illius arcebis? Jam necessitas talis et tutelae studium profecto intercedit, cum de servanda matris an fetus vita disceptatur, summoque et mater et maritus jure utuntur, contra fetum maternae vitae pericula minantem se defendendi, adeoque justissimae hoc defensionis munus conferendi in medicum.

Neque non rectissimo praejudicio sententiam aliquam damnatam censebis, cujus inter politissimas gentes nescio quis et idem scientiarum, quarum hic unice valet auctoritas, imperitior unus exstet defensor. Talis autem Osiandri controversia quî non videatur, quippe quae ad morum praeceptores et juris consultos rite pertineat?

Ad morum autem praeceptores provocanti respondent hi, inhonesta et prava nonnisi ea facinora putari posse, quorum quidem, diversissima plane a nostrae rei indole, haec sit conditio, ut et sentiantur et spectentur inhonesta. Provocanti deinde ad incorruptum in medicis recti honestique sensum integerrimi utique optimique viri posthabitis ipsius molestissimis clamoribus et perfricto ore, quo homicidas illos nuncupat, nulla se pravi facinoris conscientia vexari fatentur. Provocanti postremo ad sententiam legum latorum et juris consultorum sine ira et studio decernentium hi respondent, et summo matrem, si quidem hac via ipsius vita servari possit, jure agere in exercendo validioris et ex necessitate sui ipsius tutelam adhibentis privilegio, et innoxium prorsus esse medicum obstetricatorem, ubi in finem hunc fetum in utero interfecerit.

Perforationem itaque vivi fetus ex obstetriciae artis finibus proscripturus, ne moralem et legalem illius indolem oppugnet, firmissimum scilicet et invictum illius praesidium, probet autem supervacuam illam esse. Quod si probaveris, eo ipso et inhonestam et legi contrariam esse probatum erit. Quae tamen vice versa, dum supersederi illa non posse intelligitur, bona et justa videatur necesse est, quin probi cujusque medici non potest non esse.

DE NECESSITATE OPERATIONIS HUJUS EX PRAESENTE OBSTETRICIAE REI STATU VEL VERA VEL NULLA!

Operationem hanc supervacaneam contendens et primum omnium auxilia et vias luculenter ostendat opus est, quae supplementorum agant vices; et usu probet, quae nuncupaverit supplementa, satisfacere spei.

Osiander autem cum utriusque tentamen certe fecerit, priusquam sententiam proferamus, vias ab illo descriptas in examen vocemus necesse est. Jam tria ostendit auxilia:

1. Sectionem caesaream, quam, cum de morte fetus nunquam satis certa persuasio sit, sine ulla conditione usque ad conjugatam $3\frac{3}{4}''$ extendit.

Gravissimi hujus artificiosi auxilii haec primum omnium laus effertur, *fieri quidem posse*, ut et mater et fetus serventur.

Sed ut taceamus longe majus periculum, in quod mater sic adducitur, longe majoris illa pretii, ne haec quidem sententia de possibili certe servatione generali hoc ambitu vera constat. Plurimarum enim mulierum pro pelvis conditione ad sectionem caesaream plane aptarum ea est virium vitalium indoles et ea humorum mixtura, ut futura quisque prospectans chirurgus quam certissime praesentiat, hoc certe casu vulnerationem sectione caesarea factam absolute letalem esse. Jam vero si ex Osiandri sententia nullo prorsus interficiendi jure medicus obstetricator utitur, quo tandem ore rebus ita se habentibus caesaream adhibebit sectionem? qua vero religione Osiander ter adhibuit improsperrime, cum liberior quisque praeoccupata mente medicus tristem operationis exitum praedicere potuisset. Sufficit tamen in finem hic propositum probasse, fieri non posse, ut quoad omnes plane casus in conjugata minori quam $3\frac{3}{4}''$ anteponenda sit sectio caesarea perforationi.

2. Forcipem obstetricium, quem Osiander absolute idoneum usque ad angustationem conjugatae $2\frac{3}{4}''$ censet.

Cui tamen applicationi forcipis nemo adhuc assensus est. Nam in omnibus his casibus forceps quam maxime comprimat necesse est caput normalis magnitudinis, quae talis tantaque pressio absolute letalem vim in fetum exercet. Nec non in omnibus his casibus caput in pelvim non intrans forcipe attrahendus est; quod quantas molestias, quanta periculas et matri et fetui in graviori quaque pelvis angustatione afferat, nemo nescit.

Peritissimi itaque medici obstetricatores ultimum finem salutiferi forcipis usus ad summum in conjugatam $3\frac{1}{4}''$ extendunt; quam sententiam prospera aliquot Osiandri experimenta in gravioribus etiam pelvis angustationibus facta immutare non possunt, cum usitato minus et mollius caput exceptiones has facillime explicet. Quamobrem tristissimo obloquendi studio et alterius sententiae impatientia accidit, ut Osiander, invisam evitaturus perforationem, saluberrimum forcipem, prorsus illo abutens, in instrumentum matris fetusque vitae infestum converteret, et nescio quod egregie patrasse arbitraretur, perforationis loco fetum solum, forcipis usu et fetum et matrem interficiendo.

Sui sunt fines applicationis forcipis obtusi; quos qui temere transgreditur, caedis instrumentum reddit illum idque saevius, quo minus ille perforatorii instar in finem hunc constructus est.

Jam vel hac via nullum esse perforationis supplementum satis liquet.

3. Verumenimvero minus etiam, quam dicta jam utraque via perforationis locum implet versio in pedes, quam Osiander vel tunc, cum nullus forcipis usus datur, in conjugata aliquantulum minori, quam 3", et inprimis in angustatione exitus pelvis devitandae perforationis auxilium suadet. Ubi enim reputaveris, quantopere offendat retrusio in pelvis cavum jam ingressi ac plerumque etiam incarcerati capitis,

et quibus difficultatibus versio in pedes post aquas diu jam emissas et necessario jam insequens extractio in pedibus laboret, quam molesta vero post partum talem praeviis pedibus postremo non possit non esse forcipis applicatio, facile intelligitur, nonnisi in summa rerum opportunitate aliquantulum spei superesse matris et fetus una servandorum. Quae tamen operandi ratio plane non adhibendam se exhibet in altiori quoque gradu angustationis pelvis, in conjugata scilicet infra 3″. Quî enim intellexeris quaeso, versione hic gravius quoddam lucrum mechanicis exitus capitis conditionibus accedere? Quare saepissime artis periti thesin proposuerunt:

Osiandri doctrina, qua in paragomphosi frustra forcipe adhibito versionis negotium ad servandum matrem et fetum tentandum est, nullo modo probanda.

V. Mampe de partus humani mechanismo, Halae, 1821.

Jam vero quid *rerum usus et experientia* docet de supervacanea hujus operationis indole et de compensatione, quam tria haec modo examinata supplementa in praxi praestant?

Osiander ingenti cum fiducia ad praxin ipsius quadragenariam provocat, *numquam prorsus* ad perforationem compellentem! Quod cum primo quidem obtutu gravissimum videatur momentum, omnis argumentatio, ubi accuratius exploraveris, tenuissimam se exhibet. Paracentesi enim *vivi* hydrocephali, specie illa diminutionis capitis cum absolute letali vulneratione, tantum abfuit, ut supersedere posset, ut propriam ejus mothodum invenerit. Scilicet operationem hanc perforationem vocari vetat. Omnis autem quadragenarius ejus usus nihil probat, cum operationem hanc non *post*, sed *ante* quadragenariam praxin proscripserit, nec nisi mera pertinacia impeditus perniciem hujus praeproperae et immaturae sententiae juvenilis non intellexerit. Quamobrem vel centenaria praxis nullam addidisset nervum argumentationi; nam eodem prorsus jure obstetricator medicus ante Palfyni aeta-

tem argumentatus fuerit, plane supervacuum esse forcipem, quo ipse per quadragenariam praxin quam latissime patentem non fuerit usus.

Quavis profecto operatione, veluti quovis medicamento, ubi velis quidem, carere poteris, hac tamen relicta quaestione, num in perniciem an in salutem aegroti! Nec non in parvo clinico obstetricio, goettingensis instar, complures anni sine perforatione elabi poterant. Nam, ut absoluto utar numero, ex mille circiter partubus uno tantum perforationem indicante, intra quadraginta annos tres ad summum hujus modi casus Goettingae provenire poterant. Jam quae tandem mira ars perforatione carendi, si quidem cordatior quis vel saevior in tribus his casibus ventrem finderet mulierum? quo vero eventu, doceat te Osiandri Handbuch, Th. 2.

Jam ex omnibus his satis sane liquet, in praesenti scientiae statu operationem diminutionis fetus in utero nulla prorsus alia compensari posse ideoque talem esse, qua plane non supersederi possit. Quamobrem ut horribilis videatur et arte indigna perforationis vivi fetus species prima, horror hic evanescet tamen, ubi periculosam supplementorum indolem placida mente examinaveris.

Quamquam autem necessitas illius universe probata videatur, alia tamen oboritur quaestio, quousque scilicet in praxi quidem progressi simus studio, operationem hanc coercendi? Jam ad hanc haec respondemus!

Exhibeamus hic brevi conspectu, quae politissimae tres gentes usu comperta habent!

1. Medici obstetricatores instituti, quod est Londini (Dispensary general in Westmünster), professores Merriman et Blond cum 3697 partus administrassent,

naturales erant — — —	3612
artis ope indigentes — —	85
adeoque ex quadraginta tribus nonnisi unus.	

Jam 85 horum partuum perfecti erant

forcipis usu	21
perforatione	15
versione	38
levioribus auxiliis	11

2. In instituto, quod Parisiis nomine Maternité exstat, per annos 1797—1811 partus provenerant 20517, eorumque

naturales	20183
ope indigentes	334

adeoque ex sexaginta duobus nonnisi unus; horum autem

forcipis usu	96
perforatione perfecti	16,

adeoque ex 1300 unus tantum.

3. Carus Dresdae ex mille partubus unum perforatione efficiebat.

Grave tamen contra omnia haec, quae magna tokoclinica usu comperta exhibent, momentum facit, quod hic inevitalibiles in privata praxi, et negligentia et ignorantia obstetricum corrupti casus non occurrunt, et omnia plane nimis a peculiari singulorum quorundam opinione pendent. Quamobrem operam dedimus, ut ex partuum in toto württembergico regno factorum indicibus (qui apud medicinale collegium stuttgartiense exstant) proportionales numeros nancisceremur, summatim quidem et pro multidutine diversissimorum diversissimae dexteritatis et doctrinae tokiatrorum, quanta nunc sit diminutionis fetus necessitas, exhibituros.

Jam in normali anno 1820 partuum indices (excepta Stuttgartia) recensebant

Artificiosos partus	1430
et ex illis	
Versiones	230

Forcipis applicationes	483
Placentae operationes	227
Sectiones caesareas in mortuis mulieribus	5
Perforationes	24
Comminutiones	3
Leviora auxilia	60

In normali anno $18\frac{21}{22}$ nati sunt 58390 infantes, ex quibus indiguerant

Artificiali auxilio —	2120
Scilicet versionibus	855
Forcipe	700
Solutione placentae	442
Sectione caesarea	7
Perforationibus	31
Comminutionibus	2
Levioribus encheiresibus	80

Unde patet, 1880 mum partum perforationem, et fere 3000 mum comminutionem fuisse.

In normali anno $18\frac{22}{23}$ nati sunt 60000 infantes.

Ex his partubus erant artificiosi 2250, et ex his

perforationes	27
comminutiones	6

Jam si computaveris triennii hujus partus, absolutis numeris 175000 habes; comminutionem autem et perforationem et paracentesin hydrocephali ubi et ipsa ad summam redegeris, 93 habes casus, in centum, ubi plurimum, referendos, si vel passim operationem ejusmodi silentio pressam concesseris.

Quibus omnibus postremo hoc efficitur, in 1750 partubus unum tantummodo impraesentiarum occurrere, ubi württembergici tokiatri ad perforationem confugiant; detracta autem hydrocephali paracentesi vel inter 2000 Württembergiae partus nonnisi una

occurrit perforatio, cum multo majori etiam opportunitate Parisiis in Maternité inter 1300, et Londini inter 246 una occurrat.

DE SALUBRITATE ET PERICULIS OPERATIONIS HUJUS.

Quae operatio sub uno nomine diversissimorum artificiorum seriem complexa sub diversissimis rerum conditionibus perficitur, de ejus et periculis et salubritate sententiam ferre universe constantem prorsus non possibile videtur. Modo enim sine omnibus periculis fieri potest, veluti exempli gratia mera hydrocephali emunctio, modo solerter et satis mature peracta nonnisi leviter tangit matrem, veluti mera capitis apertio, modo tamen quoad pericula prope accedit ad sectionem caesaream, veluti in proprie dicta fetus comminutione accidere solet. Ex centum in elapso triennio peractis in Württembergia perforationibus quindecim matribus letales fuisse videntur. Ex quo solo etiam patet, quam absurde quoad periculum perforatio eodem ponatur loco, quo sectio caesarea. —

Rectam diminutionis fetus prognosin si nancisci velis, omissa generali praecipuas conditiones, sub quibus operatio fit, bene distinguas opus est.

1. Quis quaeso diminutionis fetus gradus in certo quodam casu, partim ob angustias pelvis, partem ob abnormem fetus magnitudinem, omnino necessarius est? Operationis periculum pro gradibus postulatae diminutionis increscere facillime sequitur; quamobrem mera hydrocephali punctione prorsus non periculosa ulterior quaeque diminutio ob latiorem semper instrumentorum secantium usum, et ob periculosa impedimenta, quae angustior pelvis applicationi illorum objicit, periculosior utique redditur, donec perfecta in particulas comminutio quam maxime perniciosam se exhibet.

2. Quae pars corporis fetus praejacet?

In plerisque casibus nonnisi de capitis diminutione res agitur; capitis autem collocatio quam gravissimi momenti! Ubi enim praevio vel vertice vel occipite situm fuerit caput, ubi commodus ad fonticulos vel ad os bregmatis aditus, quam maxime hinc levatur operatio; praejacente contra incarcerataque facie vel magis etiam transverso fetus situ, incarceratis humeris et postremo nato jam trunco, incarcerato autem capite difficultates et pericula saepissime in immensum paene augentur.

3. Ubi praejacens pars relationem cum pelvi exercet! Si vel minus perfecte in pelvis cavum jam intravit et firma stat, quam maximum hoc levamen, cum suspensa et vacillans conditio tractandae partis super superiori pelvis apertura omnem operationem periculosissimam reddat matri.

4. In qua partus periodo et in qua conditione mollium genitalium et omnium virium vitalium operatio perficitur?

In quo maturiori partus periodo (dum orificium uteri jam satis apertum sit) operatio perficitur, quo junior et validior omnino est mater, quo minus illa jam doloribus ad partum letaliter exhausta, quo pauciora jam irrita et offendentia vel forcipis vel versionis tentamina praegressa sunt, eo facilior successus operationis.

Omnes contra molles partes ubi magis minusve inflammatae, quin et grangraenosae sunt et exstincta jam uteri efficacia, ubi ob id ipsum vel coactus fueris, post perforationem acutos etiam hamos adhibere, ibi operatio ad indolem absolute paene letalem facillime accedit.

5. Quam maxime postremo a tranquillitate, dexteritate et blanda tokiatri ratione, nec non a convenientibus, quae in singulis quibusque casibus adhibentur, instrumentis et methodis pendebit, quatenus operatio magis minusve vel periculosa, vel innoxia evadat.

DE INDICATIONIBUS ET CONTRAINDICATIONIBUS HUJUS OPERATIONIS.

Universalem prorsus ubi quaestionem posueris, quando omnino in obstetricia re diminutio fetus in utero indicata videatur, ad quaestionem hanc multifaria complectentem nonnisi universe ideoque parum practice responderi potest.

Diminuatur fetus in utero ambitus, simulac cognoveris, neque servari posse et matrem et fetum, neque vel extrahi, quin diminueris, fetum, si quidem et operatio omnino possibilis, et quaecunque alia artis via vel in majora pericula matrem adductura est.

Haec autem universalis indicatio nonnisi tum practicam aliquam utilitatem nanciscetur, cum graviores praecipui casus distinguntur et propriae specialesque harum indicationes sanciuntur.

Jam primum omnium eruendae sunt conditiones, sub quibus omnino possibilem statuas, fini certe satisfacturam, hanc operationem; contraindicationes enim putandae sunt deficientes hae conditiones.

1. Is utique pelvis ambitus sit necesse est, qui non modo perforationis instrumenta, sed etiam manum a laesionibus instrumentorum tuentem inferenda permittat; quin et quam maxime diminuto fetui exitum praebeat opus est.

Jam summa plane, quae quidem fieri potest, capitis normali magnitudine utentis diminutio totali omnis cranii dejectione efficitur; relicta autem basis, vel mollior facta putredine, in transitum nunquam non indiget conjugata prorsus 2″, et eodem spatio, quin ubi major fuerit, majori etiam aliquot lineas inferenda indiget tokiatri manus. Ultimus itaque, qui possibilem reddit perforationem, terminus cum 2″ constituatur, ultra hunc terminum mortuus etiam fetus sectionem caesaream requirit, vel matri tunc mitiorem.

2. Perforanda pars, eaque in casibus quam plurimis caput, ulla ratione in pelvis apertura jaceat ne-

cesse est, vel eo ducatur, et quatenus certa instrumentorum applicatio requirit, satis ibi fixa reddatur vel reddi possit.

3. Nec postremo adsint jam mortis inevitabiliter appropinquantis signa, cum sic insana prorsus futura esset operatio. V. Braun l. c. p. 68.

„Si vero genitalium insensibilitas, intolerabilis „eorundem foetor, similis manans ischor, pulsus celer, „debilis, exilis, intermittens et frequens, respiratio „brevis, anhela, spastica, sonora, sitis inexpiabilis, „vel nulla, licet lingua sicca et arida sit; extremo„rum, faciei, manuum, pedumque frigus, cum sudore „profuso vel particulari, vel universali, vel miliifor„formi, vel frigido; pedum paralysis, animi singula„ris quaedam tranquillitas et hebetudo, sine ulla sol„licitudine, vel objectorum externorum nimia cura: „copiosi ructus et singultus, abdomen tympanitico „modo inflamatum, spontanens materiei viridis et ni„grae vomitus, potulentorum deglutitio sonora, oculi „torvi, apertissima pupilla et ad lumen immobilis; „pallida labia, dentes aridi, lingua faucesque aridae, „sphincter ani solutus, spatici motus varii, animi de„liquium, frigidus frontis sudor etc. adessent, mor„tem instantem, ex conformata gangraena, annun„tiant, et manum de tabula tenendam esse, satis evin„cunt."

Verumenimvero licet universe probatum sit, possibiles esse has operationes, plurimae tamen quaestiones praecedant necesse est, ut et gradus et ratio certo quodam casu eligendae operationis definiantur. Nam

1. quoad matrem tokiater primum omnium

a. accuratissimam, quam potest, pelvis cognitionem, quantam scilicet mensionibus manu factis nancisci licet, sibi comparet opus est;

b. nec non conditionem mollium genitalium, aperturam orificii uteri, tumorem et aegram forsan vaginae sensibilitatem scrutetur;

c. conditionem denique communium corporis vi-

rium et statum inprimis virium uteri, nec non, quid exspectandum relinquat dolorum ad partum efficacia, inquirat.

2. Quoad fetum autem explorabis

a. situm illius,

b. magnitudinem, et magis etiam formam, mollitiem vel osteosin ossium capitis,

c. vitam denique, vitalitatem vel mortem.

Contra perforationem mortui fetus ita potissimum Osiander pugnat: omnia mortis signa cum quam maxime incerta sint, ne hunc quidem fetus statum satis certo cognosci posse. Neque non, ut incertam hanc signorum mortis indolem probet, magnam eamque gravissimi momenti seriem errorum ejusmodi de morte fetus congerit.

Verumenimvero quod nimium probat, nihil probat; probat autem nimium, sine ulla conditione proposita, sententia illius. Cum enim constet, unum tantummodo mortis uniuscujusque hominis certum exstare signum, putredinem scilicet, cui tandem in mentem venit, in unoquoque mortuo resuscitandae vitae tentamina facere, donec putredo apparet? Nemo enim ignorat, quamquam praeter putredinem nullum, per se quidem spectatum, satis certum mortis signum exstet, multorum tamen cumulo caeterisque conditionibus satisfacientem exhiberi empiricam certitudinem. Quin vice versa ex ambiguitate vel vitae vel mortis fetus contraria Osiandro argumentatus fuerim. Ubi enim vel perforationis vel sectionis caesareae aut synchondrotomiae optio data est, et in fetus salutem summo vitae discrimini objicienda mater, fetus esse puto, ipsius vitam probare, neque vero medici, mortem illius, sive mutatis verbis, inopiam evidentissimorum vitae signorum satis hic causae praebere arbitror, cur mortuum ponas fetum, cum error utique, mortuum pro vivo habendi, perniciosiora efficiat, quam oppositus.

Verumenimvero quamquam concedendum sit, fetus vitam pro materna devoveri et licere et juberi,

modum tamen excesseris, fetus vitam nihili aestimans. Nam certam ejus vitam gravissimum sane momentum in ponderandis, quae eligendae sint, operationibus putabis, ut necesse sit, duos hos casus, vel mortis, vel vitae fetus, in indicationum enumeratione prorsus distinguas.

I. Prior praecipuus casus.

Fetus vel pro mortuo vel pro non vitali habendus est.

(Praecipuae deficientis vitalitatis causae sunt acephalus, hydrocephalus, majores monstrositatis gradus et letales convulsiones; jam in omnibus his casibus fetum prorsus eadem ratione, qua mortuum, tractari licet.)

1. Prima generis species.

In fetu tantummodo causa est deficientis proportionis spatii,

a. ob abnormem magnitudinem vel deficientem corporis compressibilitatem.

α. Unaquaeque partum impossibilem vel molestissimam tamen matri reddens aquarum in tribus cavis corporis fetus accumulatio paracentesin postulat, punctionemque laborantis partis, ac praecipue capitis.

β. In abnormi crassitudine, osteosi et exorta hinc (ob ventrem forsan diutius latum) incompressibilitate capitis fetus matri multo etiam magis parces caput perforans, quam violentum forcipe partum experiens.

γ. Vastae monstrositates, ut vel concreti infantes, vel bicipites, vel quadrupedes, ect. absolute permittunt unumquodque diminutionis genus, si quidem gravius aliquod matri accedit commodum.

b. ob abnormem fetus situm, prorsus non emendandum et difficilis partus causam.

α. Capitis quaeque prudenti forcipis applicatione non tollenda incarceratio tertii gradus (forsan ex improspera tantum collocatione, quales incarceratae faciei vel verticis partus, in satis normali et capitis et pelvis magnitudine) perforationis jus concedit, vel praevio capite, vel averso.

β. Quin et juxta caput prolapsa eaque arctius quam quae solvi possint, incarcerata brachia perforationis copiam exhibent.

2. Secunda generis species.

In matris tantummodo corpore causa est deficientis proportionis spatii.

a. ob pravam pelvis mensuram.

Normale fetus caput sine magno matris discrimine a forcipe traduci non potest, ubi conjugata infra 3″ est. Quoties itaque vel introitus vel exitus pelvis tam angustus est, ut post laedentissimam tantum forcipis applicationem transitus, quin diminuas, extorqueatur, indicatam habes diminutionem, cujus et indicia praebent sine ulla pelvis mensione tum vis in forcipis tentamine adhibita, tum exorti inde matris dolores. Caput si admodum fuerit durum, vel in conjugata $3\frac{1}{2}$″ operationis necessitas esse potest; ubi vel incarceratum vel mobile super pelvis introitu caput forsan steterit. In conjugata 2″ nulla jam datur prospera diminutio.

b. ob mollium genitalium conditionem.

In magnis mollium genitalium angustiis, in inflammatorio tumore, et ancipiti sensibilitate vim operationis forcipis ope saepissime matri absolute letalem praesagiveris, cum perforatio contra partus quam gravissimum levamen afferre possit.

3. Tertia generis species.

In utroque, ad quem partus pertinet, homine, et in matre et in fetu, causa est deficientis proportionis spatii.

Indicatio perforationis quamquam in duabus prioribus speciebus evidentissima sit, et cujusque per forcipem tentaminis saepissime absoluta letalitas et dementia luculentissime pateat, summa tamen definiendae indicationis difficultas oboriri potest, ubi utraque species varie complicata est. Infinitae autem sunt complicationes et ob eandem causam non perfecte enumerandae. Fac enim exempli gratia, caput paululum majus in paululum angustiori pelvi, praevia facie, ineptius incarcerari, et insuper arcessitum tokiatrum genitalia gravissime inflammata deprehendere, quin et oborientibus mulieris convulsionibus possibilem quidem, sed lentius perficiendum forcipis ope partum vetari, jam singulis quibusque momentis his quamquam non indicetur perforatio, indicatam tamen habes tristissimo illorum concursu.

II. Posterior praecipuus casus.

Fetus et indubitate vivus et vitalis censendus est.

Satis indicata mortui fetus perforatione, ubi illâ quidem vel periculum, vel etiam molestia tantum matris optime tolli potest, jus indubitate vivi fetus diminuendi utique tum demum datur, ubi certo plane persuasum est, unice tantum fetus morte vitam matris servari posse.

Quod effugium plurimi tokiatri in horribilissimo hoc omnis obstetriciae rei eodemque tamen, proh Dei fidem, rarissimo casu suaserunt, fetus scilicet mortem exspectari jubentes, respuendum plane; quippe quae falsa humanitatis species et fetus interitum non prohibet, et plurimos cum fetui, tum matri cruciatus afferre potest, et ultimum totius operationim consilium, matris scilicet salutem, saepissime quidem mora irritum reddet.

Jam ob id ipsum autem, quod sub una hac conditione, vitam matris alia via prorsus non servari posse, quam devovendo fetum, devotionis hujus venia datur, casus utique provenient, ubi indubitata fetus vita suo quodam jure ponderanda videatur. Quos habes:

1. Ubi et valetudinis et omnis rei fortunaeque conditio, qua utitur mater, prosperum sectionis caesareae vel synchondrotomiae successum verisimillimum reddit.

2. Ubi jam quidem prorsus insanabili, brevi post partum necessarioque mortem illius effecturo morbo, ut osteomalacia, ultimo phthisis stadio aliisque laboraverit. Quî enim pro moriente fetus vitam devoveri licebit?

Atque hos unicos puto casus, qui pro salute fetus matris vitam impendi concedant.

Finem autem commentationis hujus facimus in Ovidii argutissimo dicto:

Quare collegas iterumque iterumque monebo:
Parce tamen matri, soboli ni parcere possis,
Et meritum matris firmatum in pectore pende!